

Heinrich Rahn

**Facultatis Iuridicae Vice-Decanus Henricus Rahne/ I.U.D. & Prof. ... Ad  
Disputationem Inauguralem Dn. Lucae Cunradi Schafshausen, Vitebergensis Die  
XVI. Ianuarii habendam Magnificum Dn. Rectorem, Dnn. Professores, omnesq[ue]  
omnium ordinum Cives Academicos, caeterosq[ue] Literatos, ac Literatorum  
fautores officiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766616754>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18




FACULTATIS JURIDICÆ  
VICE-DECANUS  
HENRICUS Rabne/  
J. U. D. & Prof.  
Suo, & Dnn. Collegarum  
nomine


*Ad*

DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
DN, LUCÆ CUNRADI SCHAFSHAUSEN,  
Vitebergensis  
Die XVI. Januarij  
*habendam*

Magnificum Dn. RECTOREM,  
Dnn. Professores, omnesq; omnium or-  
dinum Cives Academicos, cæterosq; Literatos,  
ac Literatorum fautores officiosè  
invitat.




ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
Anno M. DC. LI,



## LECTORIBUS S.



Vandoquidem persæpe mecum majorum nostrorum præclarè facta, resq; domi, ac foris egregiè gestas considero, tum nulla inter eas graviore præconio extollenda, aut majori laude celebranda videtur, quàm quòd legalem scientiam tam sanctè nobis conservaverint, conservatam à squalore, situq; repurgaverint, repurgatam posteritati in manus tradiderint, fideliterq; commendaverint. Cùm enim illa sit divinarum atq; humanarum rerum noticiæ, justis, atq; injustis scientia, profectò qui talem thesaurum quasi virgulâ divinâ oblatum posteris relinquunt, in summo honore sunt habendi. Quòd si hi, qui urbes condiderunt, qui monumenta, operaq; publica statuerunt, aut alia externa in rem publicam contulerant merita, singularibus ornamentis sunt decorati, certè, qui illam nobis tradiderè scientiam, quæ hæc omnia jure, & legibus asservare, inq; concordia, & pace retinere, moderariq; docet, excellentiori celebratione erunt commemorandi. Illi etenim, etsi talibus suis benefactis non parum rei communi splendoris adjecerunt; atta men interdum suæ duntaxat gloriæ, famæq; consuluerunt, interdum etiam infinitis sumibus rem publicam exhauserunt, posteaq; miserè affectam, & labefactatam prodiderunt; hi verò publicæ hominum salutis sine ullius incommodo interfuerunt, totiq; hominum communitati prodesse voluerunt, eam & tradentes, ac ornamentantes disciplinam, quæ quasi cælo delapsam frogem ad faciendam omnium virtutum messem, cunctis exhiberet. Hæc autem Jurisprudentiæ convenire maximè, nemo in dubium facile vocaverit. Hæc hominibus viam præbit ad justiciam, hæc æquitatem docet, hæc injurias depellit, hæc hominum inter homines societatem, conjunctionemq; devincit, hæc bona, vitam, famam hominibus servat integram, atq; vendicat. Hæc qui destituuntur more pecudum, aut parum ab similibus vivere, facile est intellectu paulisper oculos modo extra Europam flectenti. Quanta ibi in omnibus fere imperiis vastitas, quanta confusio, ubi nec fides, nec justitia, nec æqui, aut boni vestigium, sed ex



unius stolidi cujusdam hominis arbitrio, cæcaq; æstimatione, fortunæ, ac  
 facultates, spiritus & vita pender omnium. Planissimè à tali instituto abhor-  
 ret jurisprudentia, quæ & suum cuiq; sanctè custodit, ac imperantes, & pa-  
 rentes sacratarum legum natu retinet in officio. Porro, quantum in cogno-  
 scenda illustri hac disciplina delectationis, quantum mirificæ in ea perlu-  
 strandâ suavitatis? Nam sive quis varia sectatur studia, in iisq; sese oblectat,  
 plurima profectò existit in omni jure antiquitatis effigies, quæ partim ver-  
 borum prisca vetustatem declarat, partim veterum ritûs, cæremonias, vi-  
 tam deniq; & actiones scitè depictas ante oculos collocat; sive in civili quis  
 sapientia pernoscenda elaborat, ferè universam hanc, descriptis plerisq; ci-  
 vitatis incrementis, ac utilitatibus, morbis, eorumq; remediis, magistratum,  
 civiumq; officiis, omnium deniq; incolarum partibus, optimis legibus no-  
 stris, & XII. tabulis contineri affirmamus. Certè si principia quoq; non pau-  
 ca elegantissimarum disputationum ex legali scientia peti asseverarem,  
 quantam nempe vim optimarum rerum mens humana complectatur, quæ  
 inter homines sit communitas, aq; mutis animalibus distinctio, cujus mu-  
 neris efficiendi causâ nati sumus, videlicet, ut recta sequentes officio semper  
 gaudeamus, & Deum in omnibus factis nostris respicientes eum imitemur.  
 vitæ modò, & perpetuâ constantiâ, non equidem à vero aberrarem. Jam ve-  
 rò unde virtutem magis expetendam animadvertimus, quàm cum honestâ  
 justiq; præstantium hominum labores præmiis, omnibusq; ornamentis de-  
 corantur, degenerum autem & scelestorum vitia censoriâ animadversione  
 notantur, eorumq; fraudes & injustè facta pœnis, ac suppliciis constringun-  
 tur; alii quoq; vel horum exemplò, vel prudentibus institutis, ac monitiis  
 confirmantur, ut omnè iniquitatè, ceu pestem fugiant, doceanturq; non jur-  
 gis, aut clamoris concertationibus, sed sanctarum legum autoritate cupidi-  
 tates reprimere, domitas habere libidines, rectè partis temperanter vivere,  
 ab alienis se prorsus abstinere. Talia & multò plura inculcat præcepta lega-  
 lis scientia, tam salubribus monitis, & oraculis, quasi Dei oratione plena est,  
 ac referta. Nemini ergo mirum amplius videri potest, quòd omnium ocu-  
 los atq; ora jam dudum in sese convertèrit, quòd maximi quiq; principes eam  
 in summo olim precio habuerint, cunctæ fere nationes cupidè amplexæ sint,  
 omniq; splendore illustrârint. Nimirum bonis illis temporibus haut fuit  
 hoc studium quæstuarium nummariumq; præmium. Haut putabimus, ve-  
 ros hujus sapientiæ antistites Græculis illis similes, quos propriè, verèq; *Φιλο-  
 σοφους*, interdum quoq; planè *μισθόλαβας* vocitant, qui vili mercedula con-  
 ducti



duci linguam venalem habeant, eâq; legibus quàm optimè constituta sæpe depravent, ac corrumpant. Toto, quod dicitur, cælò ab his distant germani justitiæ sacerdotes, quorum

————— *longè discrepat istis*

*Ex vox & ratio.*

In quibus ————— *μορφή ἐπέων ἐν καὶ Φρένες ἑσθλαί,*  
quibusq; unicè propositum publicè omnibus commodare, nihil excusare, nihil invertere, omnem bene vivendi rationem tenere, eamq; tum voce, cum exemplis aliis commonstrare. Magnam imò verò maximam hæc singula jurisprudentiæ nostræ auctoritatem conciliare poterunt, omnesq; & ad suscipiendam & ad ingrediendam tam præclari studii rationem excitare. Sed nec illud prætereundum reor, quòd tantà elegantia orationisq; ac verborum gratiâ, & nitore hæc disciplina sit ornata, ut in hoc genere cunctis à sermone emendati famâ celebribus scriptis palmam si minùs præcipiat, duntaxat dubiam faciat. Postremos Codicis libros eosq; paucos excipiam, qui à Græcis transsumti multum obscuritatis habent, reliquis in libris summus ubiq; splendor, summus decor, atq; dignitas. Hoc quanquam in medio positum, apertumq; est omnibus, attamen testimoniò, eoq; alienò, nempe Laur. Vallæ id in præsentia probare minimè pigebit. Igitur initiò libri III. Elegantiarum ita inquit: *Perlegi proximè quinquaginta Digestorum libros, ex plerisq; jurisconsultorum voluminibus excerptos, & relegi cum libenter, tum verò quadam cum admiratione. Primum quòd nescias, utrum diligentiane, an gravitas, prudentia, an aqritas, scientia rerum, an orationis dignitas præset, & majori laude digna esse videatur. Deinde quòd hæc ipsa ita in unoquoq; illorum omnium sunt egregia, & perfecta, ut vehementer dubites, quem cui præferendum putes. Ac paulò post ait: His autem, qui inter manus versantur, jurisconsultis nihil est meâ sententiâ, quòd addi, adimive posse videatur, non tam eloquentia, quàm Latinitatis, atq; elegantia, sine qua cæca omnis doctrina est, & illiberalis, præsertim in jure civili. Hæc ille, quæ homini quidem doctissimo, sed ad reprehendendum, & carpendum acutissimo, ac sæpe nimis gravi Aristarcho ipsa veritas extorsit. Quocirca nihil amplius cunctemur, nihil celssemus, quin æternis laudibus majores nostros evehamus, qui tam præclaram nobis disciplinam*

plinam exhibuerunt. Hanc excolamus, hanc complectamur, hanc perpetuis monumentis colloculetemus. O vitæ quasi parens, lux actionum, virtutum indagatrix, vitiorumq; expultrix Jurisprudencia! Tuo ductu urbes fundata, aucta, stabilita, homines dissipati in societatem convocati, exculi, officiiq; religione conjuncti! ex te vitæ tranquillitas, & concordia, omnesq; bonæ felicitates, tanquam alveo limpidissimo promanarunt! Ceterum cum universa legalis disciplina circa res, personas, & actiones præcipuè sit occupata, hauri facile dixeris, quodnam eorum ad considerandum principe loco sit ponendum, quando præsertim tria hæc tam arctè sint connexa, ut cavum à convexo, quod dicitur, facilius, quàm ea separare queas. Quandoquidem verò per actiones & personæ in ordinem rediguntur, & res nobis vindicantur, & existimatio nobis integra servatur, certè in usu vitæ eas præcellere hauri difficulter probari posset. Inter omnes autem actiones illa, quæ est de FINIBUS REGENDIS, & dignitate, & utilitate nulli cedit. Hac enim contra confines injustos, - qui vel ambitione, vel invidia, vel avarità, aliisve causis adducti fines nostros turbant, sacrarum legum nutu nostros agros, nostrasve possessiones, unde vivimus, unde spiritum ducimus, vendicandi, jusq; nostrum obtinendi potestas nobis datur. Equidem tempora tam difficilia sæpe incidere non inficit, ut tam proficua actioni locus hauri relinquatur, in primis, cum divina vindicta occultò judicio tyrannos excitat, qui omnia jura divina atq; humana pervertentes non solum fines turbant, sed & totas regiones ac provincias pessondant, atq; supprimunt. Nobilitata jam olim illa est, Plutarchi testimoniò, Archidami Agesilai insolentia, ex quo cum quaereretur, quantum agri Spartiata possiderent, quantum lancea assequuntur, respondit. At quia bella æterna esse nequeunt, iis sopitis legitimè jus cuiq; suum persequi hæc q; actione terminorum controversiam moderari licet. Gravissimam indigito difficilissimamq; controversiam. Hæc enim quot incommoda sæpius pepererit, quantasq; turbas excitaverit, hodieq; excitet, quæ in aperta bella eruperint, unde infinita cædes, stragesq; consecuta, & omnium temporum publica abundè docet memoria, & quotidie nostra affirmant tribunalia. Quæ incommoda ut aliquo modo depellerentur, hanc sibi ineundam rationem veteres sapientes putavere. Certas nempe fecerunt notas, ceu montes, arbores, cippos, quibus cujusq; territoria includerentur; in agris semper fere limites constituerunt tam publicos, quàm privatos, quò dominia singulorum certa essent, prædiorumq; & agrorum modus. Præsidè

A 3

provin-

provinciae curandum, publicos limites à privatis separari lex 5. ff. de operib.  
publ. mandat. Verùm quòd longè antè hic mos in usu fuerit, illæ, quæ sunt  
ipsa veritas, nos docent literæ. Ipse videlicet DEUS felicem illam provinci-  
am, quam suo populo habitandam dedit, certis circumscriptis regionibus,  
imò postea privatis cujusq; possessionibus limites posuit, eosq; fieri permi-  
sit, quos ne quisquam violaret, aut submoveret sanctissimis perpetui illius  
edicti tabulis severè prohibuit. Quid quòd execrabilem eum aliò in loco  
vocat, qui eos submovere in animum inducat. Hunc supremum legum scri-  
ptorem sapientes quiq; moderatores imitantes severissimè mandarunt, ne  
quis tam infestum crimen, quod Imperator Adrianus in l. 11. ff. de termin.  
moto. pessimum factum nominat, susciperet. Quin nostræ leges pluribus,  
iisq; gravibus pœnis in terminorum motores animadvertunt. Prospexe-  
runt certè sapientes legislatores salutem hominum quàm diligentissimè, &  
siquidem

nomina mille

*Mille nocendi artes,*

foecundum quando homines pectus concutiunt, tanquam morbi capita  
les exorti, totidem iis remedia opposuerunt. Quibus ò si per hominum  
proterviam nunquam egeremus! ò si nullis cum quoquam actionibus ex-  
periri per nos staret! Sed, pro dolore, ita comparatum est cum rebus no-  
stris, ut nec tempestates, nec calamitates, nec ferarum impetus, nec undarum  
æstus, nec incendia, nec ullæ ærumnæ aliæ homini plus noceant, quàm ho-  
mo, imò, quod experiundo est acerbissimum, quàm vicini vicinis, confines  
confinibus, fratribus fratres! Quàm felix, jucunda, ac placida mortalium  
foret condicio, quàm citò in priscum aurum redirent secula, si qui corpori-  
bus conjuncti, unisq; mœnibus, parietibus, sepibusq; inclusi, etiam animis  
essent confociati firmiter, proptereaq; mutuis officiis, studiis, & amore con-  
tenderent! Ultimum Servatoris nostri Elogium fuit, AMATE INTER VOS.  
Id quod si nos, qui audimus Christiani, observaverimus, ut omnes debemus,  
nemini injuriam inferemus, nihil immoderatè appetemus, nihil magnope-  
te desiderabimus, & ipsi non solùm ab improbo isthoc conatu alienos fines  
turbandi puras manûs servabimus, sed alios etiam, quantum in nobis erit,  
ab eo deterrebimus. Tale propositum quin penitus fixum habeat Ornatis-  
simus Vir Dn. LUCAS CUNRADUS SCHAFSHAU-  
SEN, Vitebergenis, LL. Candidatus, dubitare nulli possumus. Illud alta  
ipsum

Ipfius & erectâ indoles à teneris ad honeftatem bonamq; frugem educatâ nobis perfuadet; perfuadet brevis quidem pro ftatuto Academix noftræ, fed nervofa inauguralis difputatio, quâ totam de FINIBUS REGENDIS actiorem doctè eft complexus. Nos tam bonam mentem ipfi meritò gratulamur, eamq; ut plurimumorum confervationi, ac faluti impendat, etiam atq; etiam vovemus. Studiorum curriculum mox dicti Dn. Candidati quod fpectat, prima in illuftri Leucori, ceu blandâ patriâ, pietatis & doctri-næ jecit fundamenta, in qua privatis magiftris commiffus primordia literarum cupide arripuit, iisq; feliciter fuperatis, pederentim ad altiora contendit; quare ad varias fcholas, & Gymnafia, ceu divitem literarum mercatum eft profectus. Ift hoc pacto cunctis liberalibus exercitiis, in quibus adolefcentia periculum folet facere, cum laude perfunctus tandem noftram hanc Academiam celebrem fapientix officinam eft ingreffus. In hac idoneum locum naftus ubi virtus fua excurret, nequaquam inertix fele dedit, aut languoribus, fed pertinaci ftudio, labore indefeffo jurisprudentiæ, reliquisq; libero homine dignis artibus vacavit. Nec diu delitefcere illius navitas, aut in occulto jacere diligentia potuit. Nam quemadmodum flamma aridam nafta materiam non diu glifcit, fed mox emicans fulgorem ex fe præbet: haut aliter Dn. Candidati noftri diligentia ftatim erupit, fuumq; jubar eruditionis oftendit. Itaq; fub Cl. Viro Dn. FRIDERICO BERLICHIO, de Magiftratu politico publicè hîc difputavit, ubi & pulcre ftetit, & fructum induftriæ fat amplum applaufum nempe omnium reportavit. Lipfiam quoq; non diu poffit in vifit, & ibi quoq; fpecimen doctri-næ edidit, fubq; præfidio excellentis Jcti BENEDICTI CARPZOVII, luculentam differtationem Principia, & autoritatem juris feudalis, cum nonnullis quaftionibus excerptis ex aurea Bulla, exhibuit. Sic in aliquot Academiis ftrenuè verfatus laudem fingularem facile invenit, ac optimos quosq; modertiâ, & folerti navitate amicos fibi comparavit. Unicum reftabat, ut nempe peregrinationem fufceperet, quâ & acquifitam doctri-næ copiam confirmaret, judiciumq; corroboret, ad quam ineundam & parens, Vir Confultiffimus & Excellentiffimus Dn. NICOLAUS SCHAFFSHAUSEN, Jctus, Principi Saxonix inferioris à confiliis, & apud Hamburgenfes Juftitiæ Patronus fideliffimus, infligabat, & ipfe fua fpon-te ferebatur. Belgium itaq; Galliam, & Helvetiam, nec non maximam partem communis noftræ patriæ Germaniæ fedulo perluftravit. Neq; hîc aut locorum mutatio, caftellorum robur, civitatum dignitas, aut alia, quæ oculis

oculis duntaxat percipitur, ipsum, quod vulgò fieri amat malò publicò, ita cepit novitas, ut optima oblitus, relicta, quod fertur, fruge glandes legeret, Officium semper præ oculis habuit, & illud veteris poetæ verbum:


*Τὸν ἐτυχοῦντα χρὴ σόφον πεφύκεναι.*

Igitur & populorum mores, & rerum publicarum rationem, civitatum indolem, earumq; incrementi, & defectus causas cum cura inspexit, & exploravit; quippe hisce rebus prudentiam parari doctorum iudicio perspectum habuit. Deniq; rursus hanc in Academiam revertens à Facultate nostra Juridica præmium vitæ antè actæ summos in utroq; jure honores modestè petiit. Nos tam honesto desiderio neutiquam deesse potuimus, partim in gratam illius temporis redeuntes memoriam, quò Dn. Candidatum primò tyronem in hac acie, ut sic dicam, Juridicâ suscepimus, inq; ea aliquot annis sedulò se exercentem vidimus; partim etiam, quò ad privatum pro more nunc examen admissus tam egregiè id sustinuit, ut cumulatè nobis omnibus satisfecerit. Postremò quia & more receptum, ut Candidati nostri in publicum prodeant, suamq; eruditionem omnibus probent, ideoq; & hic morem nobis gerere, eamq; quam supra commendavi, Disputationem ad diem XVI. Januar, publicè habere decrevit, Quæ solennitas ut eò reddatur conspectior, Te Magnifice Dn. Rector, Vos omnium Facultatum Dni. Professores, Doctores, rerum sacrarum Antistites, liberalium artium Magistri, Vos, generosa Dn. Studiosorum concio, omnes deniq; qui literas amatis, studiosè, amicè, & peramanter invito. Valetè quàm optimè.

P. P. in Academia Rostochiensî, V. Jan. Annò à facta hominibus  
salute M. DC. LI.







quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiae se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 1615. vagabundus quidam homo co-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Graecorum  
 jactans, adjumeto intercessionu, quas  
 te impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniae  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-  
 , poenam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti num. 41. adducit exem-  
 u assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publice jactaverat, quem postea  
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-  
 en suum mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quae notissimum est illud Plau-  
 pta forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut e bello rever-  
 incubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

